



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Sacramentis In Genere

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

Beatissimo Patri Sixto V. Pont. Max. Robertvs Bellarminvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53925)



BEATISSIMO  
PATRI SIXTO V.  
PONT. MAX.

ROBERTVS BEL-  
LARMINVS.



N adfero, BEATISSIME  
PATER, alteram partem  
earum disputationum, quæ  
ante hoc fermè biennium in  
sanctissimo tuo nomine in  
lucem, te annuente, prodierunt. Æquum  
enim esse censui, vt quemadmodum ea vo-  
lumina, quæ de Christo, & Ecclesia scripta  
erant, Christi ipsius Vicario, & Ecclesiæ  
summo Præfidi dicata sunt: ita libri, quibus  
Sacramentorum omnium tractatio com-  
prehenditur, non alii, quàm sacrorum An-  
tistiti primo, & maximo dicarentur: quan-  
quam

α 2

quam

E P I S T O L A

quam vel me tacente, nemo non intelligit, partem operis tibi vni consecratam existimari debere, cui totum opus semel sit iure optimo consecratum.

Et verò licet opus ipsum alioqui impositum, & tenue, dignum non sit, quod Principi omnium maximo, & doctissimo offeratur: duæ res tamen faciliè effecerunt, vt in spem magnam venirem, fore vt Beatitudini tuæ non contemnendum videretur. **A L T E R A** est, incredibilis benignitas tua, qua me primam huius operis partem ad sacros pedes tuos offerentem, humanissimè complexus, multis magnisque benevolentia significationibus, non modò munusculum quod obtuleram, gratum Sanctitati tuæ fuisse declarasti; sed etiam me ad reliquum opus perficiendum quasi quibusdam additis calcaribus incitasti. **A L T E R A**: ingens utilitas huius generis scriptionum. Tibi enim pro salute vniuersi Christiani gregis dies ac noctes excubanti, nihil gratius accidere solet, nihil minùs contemnendum videri, quàm id, quòd sit cum Ecclesiæ non mediocri utilitate coniunctum. Hoc verò tempore, quo tot syluestres feræ non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque

DEDICATORIA.

atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oues, aditus vndecunq̄ue rimari: nihil esse videtur vtilius, quàm pestilentibus, atque insidiantibus Hæreticorum scriptis, ( vt sancti Augustini verbis vtar ) mendacia, *Lib. 1 ad Bonifaciu, cap. 1.* & munientia scripta prætere, quibus rabies qua furunt, aut etiam ipsa sanetur, aut à lædendis aliis repellatur: Ego autem pro mei particula muneris, proque iis viribus, quas Dominus subministrare dignatus est; quod his temporibus Christiano populo vtilissimum esse credidi, ad id cogitationes meas, laborem, studiumque conuerti. Itaque operam dedi, vt in re, in qua potissimum nostro hoc seculo hæreticorum omnium de bacchatus est furor, quanta maxima à me adhiberi potuit perspicuitate & breuitate, nihil omnino prætermitterem, quod vel ad fraudes, & mendacia Christi hostium detegenda, vel ad nodos, & argumenta ipsorum dissoluenda, vel ad Catholica Orthodoxæ Ecclesiæ dogmata explicanda, & communienda pertinere posse videretur.

Accipe igitur, PATER SANCTISSIME ATQUE OPTIME, alteram hanc partem, ea benignitate qua cetera soles, quæ  
PRÆFA  
“ 3 tibi

EPIST. DEDICATORIA.

tibi à deuotis tuis seruulis deferuntur. Atque interea dum tertiam partem, Deo bene iuuante, molior, assidue precari non desinam, vt felix viuas; & gloriae Dei, gregisque tui incolumitati, vt facis, seruias; ac tuis apud Deum iam partis promeritis maximum indies benemerendo cumulum adicias.



PRÆFA-